

N. M. II 126.
h. 21, II.

(X 188 0697)



JESU FAVENTE
EXERCITATIO JURIDICA
De

JUDICIIS PAGANIS

Quam
Indultu Superiorum
PRÆSIDE

DN. D. PAULO FRANCISCO
ROMANO,
Prof. Pand. Publ.

*Patrono ac Præceptore plurimum
devenerando
publicè defendet*

JOHANNES ADAMUS FRIDE-
RICUS à Schönberg/
Eqves Misnicus
A. & R.

die XXIV. Septembr. A. O. R. M DC LXXIV.
horis locoq; solitis

LIPSIÆ, LITERIS COLERIANIS.

22.

J. Mylius



V I R O

*Genere, Virtute & Officiis
Illustri*

**DN. Gotthelf FRIDE-
RICO à Schönberg/**

**Dynastæ in Biberstein & Tri-
stewig.**

**Sereniss. ac Potentiss. Electoris Sa-
xon. Comiti Cubiculario, Consiliario
Aulico atque Appellationum, nec non redituum pro-
vincialium Præfecto supremo.**

*Promotori suo ac Cognato ætatem
deveniendo*

in

Ulteriorem sui Commendationem

Ut &



V I R O

Illustri ac Generoso


D O M I N O

DN. JOHANNI
DIETERICO

à Schönberg/

Toparchæ in Mittelfrohn/ Golscha &
Langenläube.Sereniss. Duci Saxo - Gothano in
Curia Aulica Altenburgensi à Consi-
liis, ibidemq; Consistorii Sacri Præsidi
eminentissimo.*Patrono suo summè colendo*Patrociniij ejus promerendi
Causa.

Nec non



V I R O
Generoso ac Dilectissimo
D O M I N O
DN. JOHANNI
CHRISTOPHORO
à Schönberg/

Toprachæ in Mülsdroff & Cun-
nersdorff.

Parenti suo filiali observantiâ
ætatem colendo

Exercitium hoc Academicum
in
Signum Gratitudinis & Obsequii æter-
num debiti

dedicat atq; consecrat
Illorum
Devotissimus Cultor

JOHANNES ADAMUS FRIDERICUS
à Schönberg.



I. N. F.

§. I.



Ractaturis nobis, Divina favente gratia, de JUDICIIS PAGANIS, non præter rem videtur, de origine pagorum nostrorum ante omnia aliquid præmittere. Et constat quidem, atq; extra dubitationis aleam positum est, primam occasionem, qua homines in certam Societatem coiverunt, per pagos contigisse, eorumq; usum in Germania nostra civitatibus longè antiquiorem fuisse. Testantur enim eruditi, ante mille sexcentos annos, nullas adhuc in ea civitates inhabitatas, sed incolas in vicis tantum & pagis ætatem transegisse. Ita de suo ævo, ætate Trajani scilicet, Tacitus, rerum Germanicarum procul dubio Scriptor intelligentissimus, refert: *Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est: Ne pati quidem inter se junctas sedes, vicos locant non in nostrum (Romanorum) morem connexis & coherentibus ædificiis; suam quisq; domum spatio circumdat sive adversus casus ignis remedium, sive inscitiam ædificandi.* Dudum quoq; ante Tacitum Cæsar,

A

lib. 4.

lib. 4. de bello Gallico scribit, *Mœnapios ad utramque Rheni ripam ædificia vicosq; habuisse.* Scilicet non poterant tum Germani ad exemplum Lacedæmoniorum urbes ferre ideo, quia fortassis juventutem suam pro mœnibus reputabant, magno sibi dedecori existimantes, mœniis se valloq; cingere. Quomodo scilicet Poloni hodieq; ex antiquo more oppida munita non magnifaciunt. Neq; vero Taciti fidem temerè in dubium quis vocaverit, opposito testimonio vel Julii Cæsaris, vel Claudii Ptolomæi, qui paulo post Tacitum Geographica sua conscripsit. Nam iste Svevis & Ubiis utroq; transRhenano tum populo, sua oppida adscripsit, & hic nonaginta amplius in magna Germania loca nomine *πόλεων* recenset. Sed credibile est, eos per hæc nomina nec urbes, nec loca munita intellexisse, sed vicos tantum & pagos. Confer Herodianum lib. 7. in vita Maximini. Certè nemo Historicorum, qui expeditiones Romanas in Germaniam usq; ad seculum à nato Servatore quintum sat prolixè descripserunt, vel verbo urbis alicujus per Germaniam magnam mentionem injecerunt. Sequentibus usq; ad seculum nonum temporib⁹ paucæ itidem, vel propè nullæ extructæ sunt à Germanis populis, qui certè Germanico solo non egressi sunt. Neq; enim in ullo bonæ fidei scriptore ullius urbis tanto temporis spatio structæ fit mentio, in immenso illo terrarum tractu, qui Danubio, Rheno,

Rheno, Bohemica & Thuringica Sylva usq; in Saxoniam aut Westphaliam definitur, si unicum fortè exceperis Würtzburgum, cujus in vita S. Kiliani mentio occurrit, ita tamen, ut nescias, urbsne fuerit, an oppidum sine mœnibus. Itaq; usq; ad tempora Caroli M. nullas vel certè paucissimas in Germania civitates fuisse probabile est. Postea verò Carolinorum temporibus, Hungaris sæpissime eam infestantibus, necessitas coëgit, incolas in copiosiores societates coire, atq; pagos seu oppida sua vallis muroq; circumdare. Ex quo discrimen inter plebem urbanam & rusticam constitutum, unter Bürgern und Bauern/ atq; hi quidem à colendo von Bauen/ illi verò à burgis, i. e. locis mœnibus munitis, nomen accepisse videntur. *Conf. Knichen de superior. territ. c. 4. n. 164. & Cluver. in Germ. antiqua lib. 1. c. 13.* Inde ergo patet, pagorum originem ad tempora antiquissima referendam, & certum est, non tantùm in Germania nostra, sed & aliis terris ac provinciis esse urbes & civitates pagis atq; vicis longè posteriores.

§. 2.

Quæ vero in eo statu exercendorum judiciorum reddendiq; juris fuerit ratio, vel unicus Tacitus nos docere potest. Erat nempe in vicis istis ex parte penes Nobiles, ex parte penes plebem summum arbitrium. Disertè enim testatur jam laudatus autor, *fuisse Germanis Principes, qui jura per pagos vicosq; reddiderunt.* Eos autem fuisse

nobili stirpe natos, idem prodit: *Insignis, inqviens, nobilitas aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adolescentulis assignant.* Itaq; tùm juris dicendi potestas in singulis vicis penes unum Nobilem fuit, qui tamen solus pro lubitu statuere non potuit, sed ex ipsa plebe delecti nonnulli assessores ei dati. Disertè iterum Tacitus: *Centeni singulis ex plebe Comites, Consilium simul & autoritas adsumunt.* Horum autem Principum nulla erat successio, sed in majoribus populi comitiis constituebantur. Ita rursus Tacitus noster: *Eliguntur in iisdem comitiis & Principes.* Et hi ipsi Principes sunt, qui ab antiquissimis temporibus *Graven* dicti sunt, utpote cum hæc vox nullum alium, quàm judicem significet. Assessorum verò illorum jam antiquitùs receptum nomen Germanis est, *Schöppen*. Adeoq; liquet, antiquissimis illis temporibus Jurisdictionem in pagis & vicis fuisse penes *Graviones & Scabinos* seu delectos ex ingenuis Germaniæ incolis. Quæ autem jurisdictionis, ea quoq; imperii tam meri quàm mixti fuit ratio, ita tamen, ut neq; *Gravio* sine *Scabinis*, neq; hi sine illo, ullum eorum exercere potuerint. Atq; hæc quidem exercendorum judiciorum paganorum ratio usq; ad tempora Caroli Magni, & quod excurrit, in usu stetit. Omnes enim pagi, in ipsa hæc Saxonia quoq;, suos habuerunt *Comites præfectos*, qui cum delectis è populo aut *Scabinis* jus dicerent. Deinceps verò, cum Romani, & postea Franci hoc imperiũ sube-

DE JUDICIIS PAGANIS.

5

subegissent, abrogata antiqua Republica, & cum ea simul juris reddendi ratione, à victoribus singulis cœtibus sui Magistratus dati sunt, iiq; tam ordinarii, quàm extraordinarii. Principibus deniq; aliisq; quibusdam Superioribus hereditariis factis, illi non tantùm, sed & Reges, Cæsares, imò Episcopi quoq; & Abbates particulas pagorum suorum aliis atq; aliis urbibus, aut populi nobilioribus familiis, imò & plebejis tradiderunt, partim simpliciter venditione, partim pignore, partim feudi jure, partim donatione, partim variis modis. Vid. *Specul. Saxon. libr. 3. art. 64.* quod tamen illas translationes iniquitatis accusat. Hi deinde Jurisdictionem unà sibi datam vel ipsi in propria persona in judiciis exercuerunt, vel ejus exercitium certis Præfectis concesserunt, qui adhibito Sculteto & Scabinis causas controversas dijudicare siveverunt. Idq; hâc in parte, teste Experientia, etiamnum in usu est.

§. 3.

Pergimus nunc ad judicii Pagani descriptionem, quæ hunc in modum efferri potest. Quod sit controversiarum de negotiis rusticorum legitima disceptatio, juris experiundi gratia instituta.

§. 4.

Divisiones ejus, quas afferam, non habeo. Nisi fortassis aliquis existimare velit, discrimen constituendum esse inter ea judicia, quæ omni tempore, & quoties occasio fert, exerceri solent.

A 3

&



& quæ saltim vel quotannis, ut plerumq; ferè fit, vel aliis statis & certis districtisq; terminis & temporibus celebrantur, atq; inde die *Jahrgerichte* vocantur. Negandum enim non est, inter ea omninò aliquod discrimen occurrere, tum ratione causarum, tum ratione modi procedendi. Ibi enim plerumq; causæ, quæ statim dijudicari possunt, atq; ad vitam & mores, ac tranquillitatem inter subditos conservandam imprimis spectant, pertractantur, reliquis ad processum, ut ibi diligentius examinentur, rejectis. Atq; hinc quoq; ordo in iis procedendi planè summarius ac celeris est, ita, ut sublatò ferè, quod dicunt, *judicii velò*, quæ occurrunt, brevi temporis intercapedine, si controversiæ conditio nempe sic ferat, decidantur. Quod adhuc manifestius fiet ex iis, quæ infra de his judiciis circa formam erunt adducenda.

§. 5.

Prima, eaque antiquissima judicia pagana introducendi ratio consuetudine procul dubio contigit. Sicut enim ea est fons omnis jurisdictionis secundum mentem *Köppen. decis. 48. num. 24.* ita perinde ferè in judiciis esse videtur, eorum enim exercendorum potestas à concessione jurisdictionis dependet, cum nemo jurisdictione carens causas in iudicio controversas cum effectu dijudicare queat. Cæterum hodie in specie unà cum jurisdictione judicia hæc instituendi facultas obtingit, 1. Per investituram, præsertim si in ejus
lite-

literis exercitii jurisdictionis expressa mentio facta fit. Quæritur autem, si nihil ejus in illis contineatur, an nihil ominus ex præsumpta concedentis voluntate eò usque extensio facienda? Distinguo: An prior prædii possessor isto privilegio gavifus fuerit, vel non. Hòc casu istud per investituram non acquiritur, quia pagus & feudum etiam absque eò consistere, illudque Superiori reservari potest, *Rosenth. de feud. c. 5. concl. 6. num. 5.* Itaque tali casu, ubi nempe antea pagus jurisdictionem per judicia exercere non potuit, illa facultas demum 2. Speciali privilegio acquiritur. Superior quippe, ut una saltem ratione jurisdictionis exercitium alicui concedat, adstrictus non est, sed tale quid, quocunque etiam modo velit, facere potest. *arg. l. 1. ff. de constit. princ.* 3. Facultas quoque exercendi judicia in pagis per præscriptionem obtingere solet. Quandoquidem enim jurisdictio omnis hodiè patrimonialis est, utique temporis lapsu illam acquiri ita posse consequitur, ut per judicia deinde licitè exerceri queat. Quoties itaque aliquis territorium habet, subjectum idoneum, ut judicia exerceri possint, adesse putatur, adeoque tùm præscriptio talis procedit. Nec putamus longissimo temporis tractu ad eam opus esse; Is enim tùm demum requiritur, ubi jurisdictio absque territorio per præscriptionem acquirenda est, *vid. l. ult. C. de long. temp. præscr. Zoes. in Comm. ad ff. tit. de jurisdict. num. 23. & Brunnem. ibid. Qv. 19.* Denique supra dicta potestas:

testas etiam per contractum acquiritur, quando scilicet aliquis prædium unà cum jurisdictione, & sic cum facultate habendi judicia, emptionis titulo accepit. Quamvis enim privatus jurisdictionis incapax sit, l. 3. C. de jurisd. neque ea in commercio esse dicatur, id tamen tantum de eo casu intelligendum est, quando illa abstractivè atque in se spectatur. Ubi verò concretivè, quatenus nempe territorio cohæret, accipitur, utique & in commercio est, & unà cum prædio ad privatum transferri potest, hodiè præsertim, postquam ea patrimonialis reddita.

§. 6

Sicuti in judiciis aliis iudex, actor & reus personæ principales habentur, ita eodem jure in paganis utimur. Iudex autem est is, qui pagum sibi acquisivit. Nec interest, superioris sit vel inferioris ordinis. Nam, sicuti ante monuimus, omnino mutatâ veterum judiciorum formâ, hoc receptum est, ut & pagos, & in iis jurisdictionem, non tantum Principes & Barones, sed & Nobiles, & civitates, & ipsi quoque privati habere atque exercere possint. Quanquam autem hi judiciis suis sæpè ipsi præsidet, solent tamen nihil omnino jurisdictionem, quam habent, imprimis Sculteto & Scabinis adhæc officia solenniter electis concedere, ut hi eam Domini sui jussu atque auctoritate exercent. Quod inter alia patet ex clausulâ in judiciis paganis illis, quæ die Jahr-Gerichte
appel-

appellantur, usitata. Quoties enim illa finita sunt, Jurisdictio illis personis iterum concedi solet, es werden den Richter und Schöppen die Gerichte wieder umb anvertrauet/ ut ea interim nomine heri sui exerceant. Videntur autem Scabini ad exemplum veterum judiciorum adhiberi. Nam probabile est, quod, quanquam in multis aliis vetus judiciorum forma immutata, mos tamen Scabinos eligendi atq; assumendi ad nostra usq; tempora, præfertim in Saxonia nostra, propagatus sit. Quanquam in eo discrimen est, quod non amplius per suffragia incolarum, sicut olim, sed ex solo Domini placito seligantur. Neq; etiam certus in iis numerus, sicut olim septenarius erat, nunc ubiq; observandus definitus est, sed electio fit prout res postulat, & præcipue sicut rusticorum pagum inhabitantium fert multitudo. Præterea Scultetorum quoq; seu, uti in his terris plerumq; appellatur, judicum, der Richter/ adhibitio ab antiquo judiciorum more originem traxisse videtur. Cùm enim tum temporis Govæ seu pagi plerumq; satis latè paterent, neq; adeò cuivis Gravioni (poterant enim, vel absentia, vel adversa valetudine, vel aliis negotiis sæpè impediri) judiciis semper interesse, liceret, Comites quasi vicarii constituebantur, qui comitum principalium vicibus fungerentur. Atq; hos ipsos Schulthesiorum nomen jam tulisse ex antiquis Germaniæ legibus compertum est. In diplomate Ottonis Imperatoris apud Baronium tom. 9.

P. 5. disertè illorum officium exprimitur, his verbis: Nullus Marchio, Comes, aut vice Comes Sculthefius, vel quilibet ex judiciaria potestate &c. Paul⁹ Warnefridus *Histor. Longobard. libr. 6. c. 24.* ait: Rector loci, quem Schulteis vocant. Secutis sanè temporibus præturæ ejusmodi vicariam comitum potestatem designarunt per omnem Germaniam, sicut imprimis ex speculo juris Saxonici manifestum est. Quemadmodum itaq; antiquis temporibus Scultetus erat, qui vice Comitis judiciis paganis præsidebat, atq; in vico superior reputabatur: Ita par ratio judicum seu Scultetorum nostri temporis esse videtur, quippe qui & ipsi rusticorum præcipui ac præfecti, atq; à Dominis pagi liberâ voluntate, nisi alicubi consuetudine aliud sit receptum, e⁹ sunt, ut eorum vicibus in exercenda Jurisdictione fruantur. Quæsitum autem est, an & ipsi aliquam Jurisdictionem habeant? Quod negandum videtur cum Berlichio *part. 1. deci. 93.* Sunt enim Schulteti isti & Scabini homines simplices, nullam unquam Jurisdictionem acquisiverunt, Actuario atq; actis per se carent, suntque uno verbo nihil aliud, quam ministri Jurisdictionis, ac circa ejus exercitium, illi, à quo dependent, opem tantum ferunt, à quò ad e⁹ etiã, non verò ab ipsâ universitate paganica constituuntur, ab eoq; dependent. Vid. *Carpz. l. 1. Resp. 99.* Nec movet quod in banco seu sede Scabinali & judicii sedentes, omnia, sive voluntariæ, sive contentiosæ iuris-

DE JUDICIIS PAGANIS.

jurisdictionis sint, exercent & dijudicent; manet enim nihilominus verum, quod omne illud faciant nomine ac vice illius, cujus est Jurisdictio. *Vid. Gloss. Ordinar. ad l. 1. Land R. art. 13. verb. der Wauermeister/* qui tamen non amplius in usu est, teste Autore informat. ad calcem in Land R. positæ sub rubr. *Rathschlag von Ober- und Nieder- Gerichten. §. Auch hat derselbige re. vers. & coram eo potest &c. & ad lib. 3. art. 13. lit. D. Conf. Finckelth. Diss. testam. 3 Qv. 4. Richter. part. 1. Decis. 28. & Berlich. loc. alleg. Afferit tamen Dn. D. Tabor in Dissert. de Testam. Principi aut Comiti oblato, c. 5. §. 6. quod interdum quibusdam in locis Scultetis omninò aliqualis Jurisdictio competat, indeq; arguit, coram iis quoque testamenta jure insinuari posse, de quo mox pluribus dispiciemus, & disertè scribit Colerus in tractatu de process. Execut. part. 2. c. 1. n. 112. Umbram aliquam Jurisdictionis esse apud Scultetos, quod homines suæ communitatis, qui in aliquo actu universitatis inhonestè se gerunt, vel etiam alios, qui aliquid in judiciis indecorè agunt, sine venia scilicet se ingerendo tribunali, vel sine licentia à scamno recedendo, tribus solidis (solidi autem valor exæquat 16. nummos *Wesenb. ad tit. ff. si quadrup. paup. fec. dic. num. ult. ibiq; cit.*) mulctare possint, aut una vel altera amphora cerevisiæ pro modo admissi, und daß werde hernach in der Gemeine/ oder/ certo modo, in denen Gerichten versoffen. *Conf. quoq; Gloss. ad libr. 2. Land R. art. 64. vers. drey Schillinge. n. 5. & libr. 1. artic.**



53. §. attamen, judex ibique *Gloss. lit. E. & Gloss. Germ.* verbis unter den Sedinge. Quandoquidem autem Sculteti & Scabini tales jurium prorsus ignari esse solent, Notarius judicii his adjungitur, ut processus dirigat, & quid in quavis causa facto opus, auspiciis & nomine illorum definiat. De eo initio notandum, quòd nomine Scabinorum non comprehendatur. Ejus enim officium ab horum planè distinctum est & separatum, siquidem illius saltem in perscribendis & dirigendis actis consistit; Scabini verò adsunt, ut judicem consiliis suis juvent, aliamque opem, ubi opus est, ferant. *Honthem. de arte Not. lib. I. c. II. n. 19.* Exceptio est, quando Dominus Jurisdictionis ejus exercitium Actuario tali speciali quodam mandato commisit, quo casu utique Scabini instar est, atque hinc, ubi una adhuc persona è judicio ipsi adjuncta est, testamentorum insinuationes aliosque actus similes coram eo peragi posse, *Sereniss. Elect. nost. in Decis. Noviss. 73.* constituit. Cæterum ejusmodi Actuarium in pagis judicio, cui operas suas in posterum præstare debet, peculiari juramento obstringi oportet, *Fulv. Pacian. libr. I. c. 65. n. 72. seqv. Decis. noviss. Elect. 38.* Sæpe enim affectibus indulgent, unde, ne alicui damnum per injuriam inferant, fræno hoc sunt constringendi. *vid. Ordin. process. jud. tit. 2. §. nach dem aber. ibi: Sondern auch denenselbigen einen dächtigen und geschickten Notarium, der zu denen Gerichten Geschwohren zu ordnen sollen.* Idque

DE JUDICIIS PAGANIS.

Idque in præsentia subditorum faciendum, ut non tantum hac ratione Actuarius ipsis de se castè integreque in officio suo gerendo eò majorem fidem faciat, sed etiam iis hoc modo quasi obligetur. Quod in tantum obtinet, ut eo prætermisso, omnis actus coram tali Actuario gestus nullitatis vitii argui queat, *Ord. Cam. Imperial. part. I. tit. 59. Ord. Crim. Caroli V. tit. I. vid. Carpz. in process. tit. 2. art. 4. n. 41. sequ. it. 69. sequ.* In omni autem actu judiciali adhibendus est, siue causam civilem, siue criminalem, seu voluntariæ, seu contentiosæ Jurisdictionis concernat, quia judex & Scabini ad acta jurare non solent, adeoque nec esset, qui Scriptura sua de negotio coram judicio gesto firmam fidem facere posset, aut certe Scabini maxima sua molestia illud juramento suo credibile reddere opus haberent. vid. tamen *Nov. Decis. Elect. 39. & Berlich. part. 1. concl. 8. num. 54.* Officium ipsius hanc sibi curam vindicat, ut imprimis processum dirigere intelligat. Unde non nisi probatæ scientiæ atque eruditionis viri spectatæ tali admovendi sunt, *Pacian. de probat. libr. 1. c. 65. n. 32. sequ.* Directio vero ista in his consistit, ut omnia, quæ in judicio dicta vel gesta sunt, in acta diligenter referat, puta Citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes & similia, ita,

B 3 ut

rm.
em
ef-
ro-
us,
eo
non
um
il-
ctis
nfi-
est,
ptio
citi-
om-
que
un-
e a-
Elect.
mo-
as in
ob-
eqv.
dul-
nfe-
rdin.
de-
um,
llen.
que



ut circa unumquodque exprimat loca, tempora & reliquas circumstantias, quæ notatu dignæ atque necessariae sunt. *add. c. ii. X. de probat. & Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. juris univers. l. 47. c. 41. n. 4. & 10.* Utque illis omnibus tanto magis fides habeatur, consultum est, ut fiant in præsentia iudicis atque Assessorum, *Carpz. d. tit. 2. art. 4. num. 48. sequ.* Quæ omnia in tantum vera sunt, ut aliquo eorum non consignato, quod in iudicio nihilominus factum fit, quia illud, quod ad negotia controversa pertractanda requiritur, intelligere debeat, regulariter præsumi non debeat, *Alciat. de præsumt. reg. 2. præsumt. 9. n. 18. sequ. Berlich. p. 1. concl. 8. n. 24. sequ.* Illud verò controversum est, num omnis Actuarius etiam Notarius solenniter creatus esse debeat? Quod quidam indistinctè volunt, tum ob *c. ii. X. de probat.* ubi dicitur, quod iudex semper personam publicam secum habere debeat, per quam Notarium denotari statuunt, & *tit. 2. ord. process. jud. ibi, Ein tüchtigen und geschickten Notarium,* tum ob hanc rationem, quod per ejusmodi personam major iudicio dignitas concilietur, tum denique quod in iudicio sæpissime de negotiis ibidem gestis instrumenta publica conficienda sint, quod imprimis per Notarios faciendum, quia ea sic non tam facile in dubium vocari possunt. *vid. Gail. libr. 2. obs. 71. Mastrill. decis. 53. n. 4. sequ. Zas. libr. 1. consil. 5. num. 97.* Enim verò cum nullum jus, nullaque consuetudo Notarium Cæsareum creatum specialiter

aliter requirat, & Notarii vox secundum mentem Dd. in citatis locis accipiatur pro eô, qui verba dictantis excipit, & gesta consignat, differentiam juribus nostris hâc in parte probatam amplectimur, num scilicet de negotio civili, num criminali in judicio tractetur: Ibi simplex Actuarius, ut sic dicam, sufficit, hic verò à Cæsare vel immediate, vel mediate creatus necessario requiritur, qui vel in specie adjudicium juret, aut Actuarius non Notario ad jungatur, quia tali casu majori cautione, circumspetione ac fide opus est. Quod non tantum in hâc provinciâ, sed in toto imperio probatum est, secundum *Ord. Crim. Carol. V. art. 1. Resolut. gravam. §. 32. decis. Elect. Norv. 38.*

§. 7.

Excipit objectum seu causæ, quæ coram judiciis nostris ventilari & decidi possunt. Quas autem sibi vindicat Jurisdictio illius, qui in pago suo judicium quoddam constituit, illæ quoque coram eodem examinari possunt, nisi Dominus jurisdictionis in uno atque altero potestatem hanc illi limitaverit, ac quorundam negotiorum examen sibi soli peculiariter reservaverit. Ut verò hæc res eò melius cognoscatur, præsciendum est, quod, quamvis jure Romano tres gradus jurisdictionis in genere sumptæ constituentur, merum imperium, quod est potestas animadvertendi in facinorosos, *l. ff. de jurisd.* Quod Germ: das Halsgericht oder Blutbahn/ appellatur. Mixtum, quod
in

in officio judicis nobili refidet, ad privatam tamen utilitatem ut plurimum tendente, puta ad bonorum possessionem decernendam, pignorum captionem &c. & jurisdictio in specie sumpta, quæ & simplex appellatur, atque imprimis in actibus voluntariis officium exerit; jure tamen Saxonico omnis jurisdictio late accepta Altâ & Bassâ absolvetur. Quorum illa pro objecto habet causas Criminales, da die Klage auff Haut und Haar gehet/atq; exercitium suum usque ad pœnam mortis naturalis extendit; Hæc reliquas inferioris ordinis, quarumq; pœnæ infra relegationem sunt. Quæritur autem an superior jurisditionem alicui conferens, si non in specie alicujus, vel utriusque etiam mentionem fecerit, in dubiô Bassam tantum seu inferiorem, an & Altam simul seu superiorem transtulisse censendus sit, ita, ut accipiens, utramque postea per judicia sua exercere queat? Quod non videtur, quia tum ex communi Dd. mente præsumtio est, quod concedens ea, quæ meri imperii sunt, sibi reservare, & reliqua tantum in accipientem conferre voluerit. Sicut autem jure Civili merum imperium nemini competit, nisi cui in specie à lege tributum est, *l. 1. ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisd.* atque inde nec mandari potest: Ita etiam hodie Alta jurisdictio illi non adeo ab similis non nisi speciali concessione transit, cum privilegia & concessiones tales, præsertim verò literæ investituræ stricte sint intelligendæ. Nisi terræ, cujus

cujus intuitu concessa jurisdictio, alta jam ante
 cohæserit, quô casu & in dubio antiquæ jurisdic-
 tionis exercitium translatum existimatur. Confer
*Frantzck. lib. 1. Resolut. 18. Steph. de jurisdict. lib. 2. part. 1.
 cap. 7. membr. 2. num. 156. Menoch. de præsumt. lib. 3. Præ-
 sumt. 97. num. 23. seqv. Rosenth. de feud. c. 6. concl. 37.
 Ludolph. Schrader. part. 5. c. 2. n. 30. Struv. Synt. feud. c. 6.
 aph. 18.* Itaq; quando superior v. gr. utramque juris-
 dictionem nobili alicui concessit, dubium non est,
 quin utraque per judicium paganum exerceri,
 illudque adeò non solum de levioribus, sed &
 gravioribus delictis cognoscere & statuere, imò
 & sententias desuper latas executioni mandare
 queat. Unde eò casu non tantum pignorare, fon-
 tes carceribus mancipare, aut ad numellas pone-
 re, sed quoque virgis cedere & gladio ferire, imò
 & furcas & patibula ad suspendium furum eri-
 gere (modò tamen ad minimum 24. ulnis distent
 à fundo vicini, *Coler. part. 1. decis. 144. in fin. vel ex men-
 te Pauli Matthiæ Wehneri, Observ. pract. voce zent atq;
 ex eò Carpx. d. quæst. 109. n. 67. tam remotè, ut ne per
 umbram solis, quando longissima est, fundum vi-
 cini tangant. Quod Schneidervv. de Feudis p. 2. tit. quæ-
 res in feud. dar. poss. n. 75. his verbis exprimit: daß man
 einen Galgen so nahe an die Grenzen setzen mag/ daß er
 das frembde Gericht mit den Schatten nicht berühre/ und
 daß auch das Volck auff selbigen Gerichte/ so man einen
 rechtfertiget/ und nicht auff den frembden Gerichte/ so
 darneben gelegen/ stehen mag.) possunt, quippe & hoc*

C jus

en
 no
 ca
 uæ
 us
 icô
 va
 na
 rci
 ex
 nq;
 em
 non
 tio
 eri
 stu
 po
 vi
 oræ
 berii
 cipi
 Ci
 cui
 , ci i
 t: Ita
 nilis
 rivi
 teræ
 rræ,
 jus



jus meri imperii seu altæ jurisdictionis necessario
 involvit, *Gail. lib. 2. obs. 60. Carpz. prax. crim. qv. 109.*
n. 66. & seqq. Quibus vero Bassa tantum jurisdic-
 tiō indulta, illi de levioribus saltim fustigatione & re-
 legatione pœnis statuere, atq; eas exequi, eaq; quæ
 contentiosæ, ubi scilicet in invitos, & voluntariæ,
 ubi in volentes jus redditur. *l. 2. ff. de Offic. procons. &*
l. 83 §. 1. ff. de V. O. jurisdictionis sunt, dijudicare pos-
 sunt. Proinde huc spectabunt causæ pecunia-
 riæ, petitiones hereditatum, transactiones de cau-
 sis civilibus initæ, punitiones minorum delicto-
 rum, putà furti infra tres solidos, vetitarum mer-
 cium atq; armorum distractionum, vetitorum lu-
 dorum, judicialium contumaciarum atq; impu-
 dicorum gestuum: Deniq; injuriæ non atroces,
 ictus, contusiones, pulsationes, vellicationes crini-
 um, *werffen / braun und blau schlagen / omnesq; aliæ*
percussiones, quæ sine sangvinis effusione conti-
gerunt. Land R. lib. 1. art. 58. & l. 2. art. 16: Weichb. art. 38.
cum seqv. Sicut ex adverso ad superiorem jurisdic-
 tionem pertinent, crimen hæreseos, veneficii,
 incantationis, sacrilegii, incestus, raptus mulierum,
 fractæ pacis, violentiæ publicæ & grassationum,
 homicidii, incendii, proditiōis, perjurii, seditionis,
 binorum sponsaliorum & nuptiarum eodem tem-
 pore, luxuriæ contra naturam, prædationis ara-
 trorum, & molendinorum, relegationum, invasi-
 onis violentæ alienarum ædium, furti ultra tres
 Solidos, receptationum, violationum membro-
 rum

rum virilium, aut mamillarum, consilii adversus superiores, sepulcri violati, injuriarum atrocium, imprimis quatenus personis privilegiatis fiunt, plagii, criminis falsi, cujuscunq; generis sit, stello-natus, illorum, qui unam rem duobus vendunt, vel oppignorant, revelationis secretorum in alterius injuriam, venalium decretorum, violatae pacis domesticæ, violatorum murorum, terminorum, motorum, novorum vectigalium, læsionum piscinarum, famosorum libellorum, vulnerum & deformitatum, quæ alicujus faciei inferuntur, transfossionum, ictuum, contusionum ex quibus periculum vitæ, membrorum mutilationis, vel abscissionis & vulnerum inflictorum qualiumcunque. Ac proinde hæ causæ in judicio pagano illius, qui altam, illæ vero in ejus, qui bassam jurisdictionem habet, ventilari possunt. Illud quæsitum est, quænam judicia gladios reorum evaginos sibi vindicare queant? Distingvo, num vulnus illis inflic-tum vel non: Ibi, non nisi ab eo, qui jurisdic-tionem criminalem exercet, hîc ab illo, cui bas-sa competit, postulari possunt. *Land R. l. 1. Art. 62. §. Wer sein Schwert zuehet / ubi Additionator ad text. Germ.* hoc notanter adjicit, quod tali casu vagina judicio simul offerenda non sit, sed solus gladius, quia nempe hoc solo quoq; peccatum est. Illud addo, quod, quænam causæ ad hanc vel illam ju-risdictionem pertineant, generali ac ubiq; valitura regula tradi nequeat. Quæ enim jam adducta

sunt, in plerisque; saltem locis, certè indubiè in hac provincia sic observantur, uti inter alia hoc patet ex ordin. provinc. de Anno 1543. & 1555. sub tit: Was zum Ober-Nieder-und Erb-gerichten gehöre. Atq; imprimis ex Responso Dn. Scabinorum hujus loci, quod extat apud *Carpz. pr. Crim. part. 2. qu. 109. n. 31.* Proinde hac in parte non raro ad usum atq; observantiam hujus vel illius loci accuratè respiciendum, teste *Wegner. in Thesaur. pract. voce Zent.* Illud etiam disputatur, an coërcitio stupri & fornicationis ad altam, an verò ad bassam jurisdictionem referenda sit? Distingvo, an matrimonium subsequatur, an non. Ibi ad inferiorem, hïc ad superiorem pertinet, quia tùm interdù pœna relegationis locum habere potest. *Carpz. pr. Crim. part. 2. qu. 70. n. 47. sequ.* Quemadmodum etiam ad hanc, impositio emigrandi, pœnæ carceris ultra 8. dies, aut pecuniariæ ultra 4. Sexagenas novas seu 12. taleros, nec non erectio signorum jurisdictionalium, patibuli putà, nummellarum omninò pertinet, *vid. Coler. de process. Exec. p. 2. decis. 240. n. 3. sequ.* Cæterum dubitatur, an & Nobilis v.g. in propriò à se constituto iudicio aliquem convenire possit? Respondeo, quamvis hodiè usu receptum sit, ut subditi à Nobilibus coram propriis ipsorum Scultetis & Scabinis conveniantur, *vid. Berlich. p. 1. concl. 8. n. 53. sequ. & decis. 109. n. 9. sequ.* item *Carpz. p. 1. C. d. 20.* melius tamen ac consultius est, tali casu ad amovendam omnem fraudis vel saltem sinistrae suspicionis opinionem Notarium adhiberi,

DE JUDICIIS PAGANIS.

21

hiberi, qui in subditorum praesentia ad iudicium atq; ad Acta solenniter juravit, *Ord. Proc. jud. tit. 2. Berl. d. concl. 8. n. 57. seqv.* Unde multo magis vindicari a tali iudicio potest injuria, quae aut ipsi Nobili, aut Sculteto intuitu officii illata fuit. *Carpz. p. 3. pr. Crim. qv. 104. n. 67. seqv.* Non obstat vulgaris regula, quod nemo in propria causa iudex esse possit: Recte enim annotavit Reisnerus *lib. 5. Consil. 5. n. 44. seqv.* Magistratum in propria causa jus dicere prorsus non prohiberi, sed posse omnino, quoties, ut in jam adductis casibus, Lex vel consuetudo eam ipsi potestatem in specie permittit Nec illum se suspectum tunc redditurum verendum est, si quidem vir bonus. Non semel quoq; dubitatum est, an iudicium paganum superioris, alicujus inferioris subditum eo irrequesito citare possit? Quod reor, adeo, ut existimem, reos tali casu in alieno territorio etiam apprehendi posse. Quamvis enim alter Bassam jurisdictionem habeat, nihilominus superiori Alta competit, quae non minus jus & potestatem in subditos tribuit, quam ista, in criminalibus praesertim. In dubio quoq; jurisdictio inferiori cumulative saltem concessa intelligitur, adeoq; Superior cum illo in ea concurrat, ut proinde vi ejus talis citatio vel apprehensio pro injusta reputari non debeat. Deniq; nec illud praetermittendum, an coram Sculteto & Scabinis, vor denen Dorff-Richtern und Schoppen/ testamentum insinuari possit? Non existimo, siquidem antea ex Finkel-

ac
ret
m
nis
x-
de
m
ste
ta-
m,
it?
on.
uia
po-
ad-
nae
xa-
no-
lla-
.de-
bilis
on-
re-
riis
vid.
em
est,
fal-
ad-
eri,



ckelthufio & Carpzovio oftensum est, eos per se nullam jurisdictionem habere, sed esse saltim ministros in ea exercendâ. Unde tali casu Nobilis v. gr. primum adeundus, ab eoq; impetrandum, ut judici & Scabinis specialiter imperet, quod ultimû elogium publica fide recipere, omniaq; gesta, Actuarius diligenter annotare debeat. Finckelth. *disp. 3. qv. 4. Carpz. part. 3. Const. 3. def. 21. Richter. part. I. decis. 28.* ubi in hanc rem adduxit præjudiciû. Nisi ejusmodi judicium aliqualem jurisdictionem per se habeat, quod interdum contingere ex Dn. Tabore, *disp. de Testam. Principi aut Comiti oblato, c. 5. §. 6.* supra retulimus. De testamento tempore pestis ejusmodi judicio pagano oblato, *vid. cit. Carpz. part. 3. const. 3. def. 22.*

§. 8.

Modus procedendi in judiciis paganis summaris imprimis esse solet, quia causæ rusticorum ibi ventilantur. Summarius autem processus Dd. is dicitur, in quo negliguntur Solennia juris positivi, atque ea tantum observantur, quæ sunt ex jure Gentium. Quæ verò illa sint, recenset atque ostendit *Zanger. in Tr. de Except. part. 1. cap. 2.* Summatim huc redeunt, quod, etsi in eo libelli juridici oblatione, litis contestatione solenni, articulorum exhibitione, probatione & reprobatione formali, item dilationibus legalibus non utamur, quia jus positivum certum modum & formam hanc iis non præscripsit, nihilominus facti nar-

narratio & petitio, Rei ad illam responsio, ejusque quod negavit, demonstratio adhiberi debeat, ut deinde justa sententia desuper ferri, nec litigantes, quod non sufficienter auditi sint, conqueri possint. Judicis autem arbitrio pleraque in hoc processu relicta sunt, cui adeo pro ratione circumstantiarum exceptiones dilatorias, positiones, interrogatoria, aliaque, quæ jus positivum Ordinario processui addidit, certo modo admittere, interdum quoque attemperare atque restringere licet, *add. Clement. Sæpè, de V. S.* In processu inquisitionis peculiariter hic modus observandus est, ut postquam de corpore delicti constare incipit, reus apprehendatur, carcerique mancipetur. Postea delictum in certos Articulos, quos inquisitionales vocant, conferendum, reus desuper examinandus, ejusque responsiones à Notario judicii diligenter annotandæ. Quod si delictum neget, testes contra eum examinandi, denique ejus defensio assumenda atque unà cum Actis ad Actorum Collegium mittenda, illorumque sententia ad ea expetenda. Solet autem hic processus in delictis scandalosis tantum admitti, quæ ad superiorem jurisdictionem pertinent, atque ad minimum relegationem pœnam habent. *vid. Carpz. pr. crim. part. 3. qv. 107. n. 24. sequ.* Cæterum cum in illis judiciis, quæ quotannis in pagis institui moris est, indeque die Jahr Berichte appellantur, peculiaris forma in his terris recepta sit, quâ inchoantur

antur ac finiuntur, temperare mihi nequeo, quin eam quoque hoc loco apponam: Ita vero tum procedi solet.

Erstlich fraget der Richter den ersten
Schöppen

Herr Schöppe N.N. ich frage euch / ob es an der Zeit und Stunde / daß ich der Ehrenvesten / Achtbahren und Hochgelahrten Herren der löbl. Universität zu Leipzig / unserer großgünstigen und gebiethenden / und dieses Dorffs N. Erb = Lehn und Gerichts = Herrn / Jahr Gerichte hegen soll?

Darauff antwortet der Erste Schöppe.

Hr. Richter / weil Euch die Gerichte befohlen / so ist es an der Stunde / daß ihr E. Löbl. Universität zu Leipzig unserer großgl. und gebiethenden Herren Ober = Erb = und Jahr Gerichte allhier hegen möget.

Weiter fraget der Richter den andern Schöppen.

Hr. Schöppe / ich frage euch / wie ich einer E. Löbl. Universität zu Leipzig / unserer Großg. und gebiethenden Herren Ober = Erb = und Jahr Gerichte allhier hegen soll / und was ich gebiethen und verbiethen soll?

Darauff antwortet der Andere Schöppe

Hr. Richter ihr sollt das hegen / zwier und eins / darnach gebiethet Recht / und verbiethet Unrecht / und daß Niemand sein eigen / oder eines andern Wort vor diesen Gerichte rede / er thue den das mit laube; daß auch niemand vor komme mit bedeckten Haupte und geschliffener Wehre.

So dann spricht der Richter.

Allhier hege ich E. Löbl. Universität zu Leipzig unserer
Großg.

Großg. und gebithenden/ und dieses Dorffes Erb=Lehn= und Gerichts Herren/ Ober= Erb= und Jahr Gerichte/ zum ersten mahl/ zum andern/ und zum dritten mahl mit Ur= tel und Recht: Ich gebiethe Recht und verbiethe Unrecht/ und daß niemand sein eigen oder eines andern Wort vor Gerichte rede/er thue es denn mit laube; daß auch niemand vorfoñe mit bedeckten Haupte und geschlieffener Behre.

Ferner fragt der Richter den dritten Schöppen.

Hr. Schöppe N. N. ich frage euch/ ob ich E. Löbl. Uni= versität zu Leipzig/ unserer Großgl. und gebiethenden Erb=und=Lehn Herrn/ Ober= Erb= und Jahr Gerichte genugsam gehegt habe?

Antwortet der dritte Schöppe.

Hr. Richter ihr habts genugsam gehegt.

Darauff werden die Rügen gegeben/ und soll die erste seyn.

Was von gerichtten/ Gerechtigkeiten/ Pfandung/ Geboth und Verboth/ in=und ausserhalb des Dorffs/ E. Löbl. Universität zu Leipzig zukommen. Sind sie zuthun be= fugt seyn. Hernach werden sie vor die Gemeine und Un= therthanen/ und dann vor die Frembden/ endlich vor den Pfarr und Schulmeister gegeben/ und zwar iedes= mahl durch zwey Schöppen.

Wann nun nimmer zu klagen und das Gerichte soll auffgegeben werden/ so fragt der Richter den vierten Schöppen.

Hr. Schöppe N. N. ich frage euch/ ob ich das Gerichte wieder möge auffheben.

Antwortet der vierte Schöppe.

Hr. Richter weil keine Klagen mehr da seyn/ so mögt ihr das Gerichte auffheben.

D

Dar=

Darauff spricht der Richter

Weil keine Klagen mehr da seyn/ so gebe ich E. Löbl. Universität zu Leipzig/ unserer Großg. gebiethenden / und dieses Dorffs Erb- und Lehn Herrn / Ober- Erb- und Jahr Gerichte auff/ im Rahmen Gottes des Vaters / Sohnes und Heiligen Geistes. Gott behüte uns vor bösen Gerichte/ Amen.

§. 9.

De his annalibus, ut sic dicam, judiciis illud quoque observandum, quòd, cum convivio aliquo plerumque concludi soleant, subditi, ubi imprimis consuetudine sic introductum, non tantum Dominum suum suis sumptibus, si domicilium ordinarium eo loci, ubi celebranda sunt, non habeat, eò deducere, verum etiam de cibo & potu ei prospicere debeant, eatenus tamen, ut ideò præter fas non graventur.

§. 10.

Judicia pagana hoc fine imprimis sunt constituta, ut rusticis in pagis jus reddi queat, nec ipsos subinde ad urbes trahi, atque sic in agricultura impediri necesse sit, Auth. Agricultores. C. quæ res pign. oblig. poss. Scotus lib. 3. tit. 1. Resp. 13. Knichen de superior. territ. c. 4. num. 566. Porrò ut alia judicia omnia ideò sunt constituta, ut quisque præsidium juris publicum & legitimum habeat, nec propriâ autoritate jus suum magno Reip. incommodo defendere possit, l. 13. ff. quod metus causa l. 7. C. und. vi. adeoque subditi tantò melius in officio & concordia.

diâ contineantur: Ita quoque in his se res habet. Unde sicut ibi quandoque jus etiam in invitum reddendum, isque cogendus est, ut ne judiciis auctoritas elusoria reddatur; ita quoque Scultetum & Scabinos in pago hoc observare oportet, si officio suo rectè defungi velint. Sed & porrò per ea, quæ coram his quoque judiciis gesta sunt, actorum jura plerumque meliora fiunt. Nam & actiones, quæ tempore aliàs pereunt, ibi propositæ perpetuæ seu tricennales redduntur, atque in heredes transitoria fiunt, quæ antè ejus conditionis non erant, *l. 87. 139. & 164. ff. de R. j. l. 9. §. 3. ff. de jurejur. l. 26. & 58. ff. de O. & A. Præscriptiones interrumpuntur, l. 2. C. de Long. temp. præscript. & quod præcipuum est, ea, quæ semel ibi ritè statuta sunt, postea executioni secundum juris placita & receptam consuetudinè mandari debent, eoq; sine ab inobedientibus multæ sumi & pignora capi possunt. Quod si quis alterum in exercitio istorum judiciorum turbare velit, turbat illum simul in usu jurisdictionis suæ, & hinc contra eum actio utilis confessoria danda est. *Carpz. l. 1. Resp. 78.* Illud enim exercitium in usu certi juris sibi competentis consistit: In quo si quis turbetur vel impediatur, certo modo actionem illam instituere nihil vetat. Planè videntur etiam tali casu remedia possessoria, ut utile interdictum uti possidetis, unde vi, & similia non præter rem adhiberi. Imò nec actio injuriarum frustranea foret, *arg. l. 13. §. ult. ff. de judic. add. Carpz. part. 2. Const. 7. def. 12.* Interdū*

D. 2.

etiam.

QKTH 3478

etiam qui alterius jurisdictionem sic violat, & pœnam factæ pacis incurrere potest, præsertim si vi armata atq; atroci, cui non facile resisti potuit, in exercendis judiciis alterū dolo malo impedivit. Atq; hōc casu turbatori pœna fractæ pacis, quæ banni est, decerni debet. *Wesemb. in Com. ad ff. tit. de jurisd. n. 13. Carpz. pr. Crim. p. 1. p. 1. qv. 35* Licitum quoque est Sculteto tali atque Assessoribus, in his præsertim terris, propter damna pascuis, v. gr. publicis per aliena pecora illata, aut ad præscriptionē jurisalicujus interrumpendam, vel etiam possessionē suam defendendam, ab aliis pignora capere, *Land R. l. 2. art. 27. & 28. ibi: findet man ihn aber an der frischen That/mag man ihn wohl pfänden oder auffhalten ic.* Cū enim tale quid privatis liceat, cur non etiam iudicio tali eam potestatem indulgeremus? *vid. Const. Elect. 7. & 8 p. 2. ibiq; Moller. & Carpz. it. Coler. de process. execut. p. 1. c. 3. n. 66. sequ. & decis. 135. n. 2. sequ. Köppen. decis. 41. n. 6. sequ.* Deniq; sicut jurisdictio per non usum, si præsertim uterdi facultas adfuit, tolli, atque ab alio acquiri: Uti etiam per delictum, & si quis ea abutatur, amitti illique in pœnam adimi potest, *Gail. l. 1. Obs. 17. & 18. & l. 2. Obs. 60. Carpz. de Resp. 78. it. l. 1. Resp. 53. & p. 1. C. 3. d. 23. it. prax. Crim. p. 3. qv. 110. n. 76. sequ. & qv. 103. in fine.* Ita non minus illud in nostris quoq; judiciis, utpote quæ medium sunt, per quod exercetur jurisdictio, obtinet. Atque hæc sunt, quæ in maximâ temporis angustia de hâc materiâ proponere volui. Nunc abrumpo, Deoque Ter. Opt. Max. gratias pro assistentia ago maximas, atque Lectorem mihi benevolum exopto.

S. D. G.

Witt



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

I R O

*virtute & Officiis
Illustri*

**thelff FRIDE-
à Schönberg/**

**Biberstein & Tri-
stewig.**

otentiff. Electoris Sa-
biculario, Confiliario
ionum, nec non redituum pro-
Praefecto supremo.

*ac Cognato etatem
enerando*

in
i Commendationem
Ut &

